

Finis autem eius Rei publicae erat Platoni, ut quam maxime una esset civitas, quod reprehendit Aristoteles:⁵ *Dico vero unam esse civitatem, totam, ut optimum quam maxime, accipit enim hanc hypothesin Socrates.* Non probat Aristoteles rationem hanc. Quoniam ait ipse, quod optimum est, servat civitatem. At unam fieri civitatem, nedum eam servat, ut etiam corrumpat:⁶ *Quamvis manifestum est quod procedens et facta magis una, nec civitas est.* Probat id:⁷ *Multitudo enim quaedam est secundum naturam civitas, sed facta magis una domus erit ex civitate et homo ex domo.* Arguta sane reprehensio, quasi Socrates non velit civitatem esse quandam hominum multitudinem, muneribus distinctam, non unam corpore, sed mente ac concordia, ὁμονοία, *animo uno.*

Quod si nolit Aristoteles suam rem publicam, sibi habeat. Putavit autem Socrates animo uno unam debere esse suam civitatem, si meum et tuum ex ea tollerentur, cum nullas alias ob causas in civitatibus dissensiones, lites, seditiones, homicidia, bella civilia oriantur, docente id ipsum ipso Aristotele libro 4. multis verbis quam ob opes, honores, uxores, filios, meos ac tuos, sublati autem his duobus nominibus, tolli etiam illa omnia mala.

Concordiam Aristoteles etiam desiderat in felici civitate, eam autem parari existimat, si virtutem civium animis ingeneret. Nec est tamen contentus ea sola, sed comessationes etiam publicas militum ac magistratuum ordinat et qui in hosce gradus sunt procedente [351] aetate assumendi, puerorum comessationes, ludos gymnasticos, literarios, musicos pictoriosque publicos vult esse, ut magis inter sese noscantur amicitiamque ex ea notione contrahant, ex qua concordia unioque civitatum consequatur. Hanc eandem unionem Plato in sua Re publica cupiens maiorem stabilioremque putat futurum, si tuum et meum tollantur ex

⁵ λέγω δὲ τὸ μίαν εἶναι τὴν πόλιν ὡς ἄριστον ὃν ὅτι μάλιστα πᾶσαν [τὴν πόλιν πᾶσαν ὡς ἄριστον ὅτι μάλιστα]· λαμβάνει γὰρ ταύτην τὴν ὑπόθεσιν ὁ Σωκράτης. [ARIST. Pol. 1261a.15 – 16]

⁶ καίτοι φανερόν ἐστιν ὡς προϋοῦσα καὶ γινομένη μία μᾶλλον οὐδὲ πόλις ἔσται. [ARIST. Pol. 1261a.16 – 18]

⁷ πλῆθος γὰρ τι τὴν φύσιν ἐστὶν ἢ πόλις, Aristotel, γινομένη τε [δὲ] μία μᾶλλον οἰκία μὲν ἐκ πόλεως ἀνθρώπος δ' ἐξ οἰκίας ἔσται. [ARIST. Pol. 1261a.18 – 20]